

modus dicendi esse potest, ut regula hæc universalis sit in omnibus materiis, quod facultas alicui data ad exercendum effectum gratiosum circa alium, si sit facta tantum in gratiam personæ designatæ, cui talis effectus est conferendus, dum res est integra, non censetur gratia facta, sed faciendæ; et fundamentum esse debet, quia quædam jura ita statuunt; et licet in determinatis materiis loquantur, non videntur niti in ratione specialitatis materiæ, sed in forma et modo concessionis, ut Glossæ et doctores interpretantur. Et ita admittendum non est quod in quadam objectione dicebatur, in his rescriptis delegatum esse executorem gratiæ alteri concessæ, sed dicendum est delegatum esse executorem gratiæ alteri concedendæ; nam antequam ille utatur suo munere, saltem inchoative, non censetur gratia facta, ex juriurum dispositione. Ad exempla autem in contrarium adducta responderi posset negando omnia in quibus regula illa proprie non servatur, etiamsi maxime versentur circa materiam spirituales, vel concernentem illam, et omnino favorabilem, ac pertinentem ad jurisdictionem voluntariam, et sive potestas delegata detur directe sacerdoti dispensaturo, sive detur per licentiam directe concessam ipsi dispensando, vel absolvendo. Hæc autem responsio est nimis rigorosa, et valde contraria praxi, et favori animarum; et ideo illam non censeo admittendam.

18. *Distinctio notanda ad declarationem doctrinæ traditæ.*—Quocirca melius fit distinctio inter facultatem hanc directe datam delegato in favorem tertii, et datam directe ipsi pœnitenti, ut eligat confessorem, vel quid simile: nam per priorem non censetur fieri ulla gratia illi tertio, sed solum parari viam ad illam obtinendam, et creari causam, ut sic dicam, per quam fiat, et ideo donec illa causa aliquid operetur circa illum tertium, non censeo gratiam ullam factam illi tertio, neque esse in illo factum aliquid, quod in ipso permanere possit, si re integra concedens moriatur. Nam illud jus, vel licentia, quod in objectione principali consideratur, non reputatur ut aliquid in illo existens, sed vel est sola permissio, ut alius possit circa illum operari, vel est quasi denominatio extrinseca resultans ex potestate alteri concessa, quæ denominatio non potest durare, deficiente illa potestate, nec potestas illa firmari potest ex illa denominatione, cum ab illa potius resultet. Potestas autem ipsa sic concessa, etiamsi jam sit morali-

ter in eo cui directe conceditur, non censetur privilegium ejus, et ideo per se non firmatur sine aliquo usu, quia reputatur mandatum, et non gratia. Et idem censeo quoad hanc partem, in rescriptis dispensationum quæ secum afferunt obligationem dispensandi, quia ibi non habet locum ratio vel natura privilegii respectu delegati, sed potius ratio mandati.

19. *Altera pars distinctionis declaratur.—Differentia inter duos modos prædictos.—Dubium incidens.*—At vero quando rescriptum directe concedit facultatem aliquam, vel licentiam subdito, licet usus ejus pendeat ex alio operante circa ipsum, ut est in licentia eligendi confessorem, vel confitendi tali Sacerdoti designato a concedente, et in litteris dimissoriis ad suscipiendos ordines a quocumque vel a tali Episcopo, et in similibus, tunc talis licentia est verum privilegium, et gratia revera est jam facta quoad suam immediatam concessionem, et ideo etiamsi moriatur concedens, re existente integra, non perit, sed in eo etiam servatur regula principalis a nobis posita, ut in aliis locis, quæ citavi, in particulari dixi. Et declarari nunc potest, quia similes licentiæ et privilegia data ad actus qui non pendent ex actione alterius tertii circa privilegium, ut sunt licentia non jejunandi, laborandi in die festo, celebrandi in privato oratorio, audiendi sacrum tempore interdicti, et similia, non cessant per mortem concedentis, etiam re integra, ut est fere communis consensus; ergo idem erit, etiamsi actus concessus consistat in recipiendo aliquid ab alio, quia eodem modo est jam facta gratia, et non tantum faciendæ, cum sub eadem forma detur licentia: unde in illo habere potest locum, quod supra dicebatur, scilicet, illum tertium esse quasi executorem gratiæ alteri jam factæ, et ideo firmari ratione illius, etiamsi res sit integra, argumento *c. Si super gratia*, de Offic. delegati, in 6, et regulæ generalis, quod accessorium sequitur principale. Et ita constituitur facile differentia inter hunc modum et præcedentem, quia, in hoc, gratia quæ fit privilegario, non est solus effectus futurus, neque est sola permissio vel denominatio a potestate alteri concessa, sed est vera concessio alicujus immunitatis, vel moralis potestatis, ut satis explicatum est. Neque videtur necessarium ad singula quæ ibi inculcantur specialim respondere. Solum potest in particulari inquiri an in judicio confessionis admittenda etiam sit illa differentia inter facultatem datam pœnitenti ad assumendum talem confes-

sorem, vel datam confessori ad audiendum talem pœnitentem in solum favorem ipsius pœnitentis. Multi enim ita sentire videntur, quia hæc est generalis juris dispositio, quæ non cessat in illa materia particulari, licet fortasse cesset negative ratio ejus, quod est probabile; mihi tamen contrarium magis probatur, ut in materia de pœnitentia dixi, quia illud iudicium magis est gratiæ quam justitiæ, et ita jurisdictio, in illo foro concessa, per regulam gratiæ potius quam justitiæ metienda est.

20. *Quæ requiruntur ut privilegium permaneat post mortem concedentis.—Instrumentum scriptum et bullatum an confert privilegium.*—Adhuc vero superest in alio sensu explicandum quæ requirantur ex parte privilegii, ut censeatur plene concessum, et firmatum ad permanendum post mortem concedentis. In quo primo peti potest an oporteat esse scriptum; nam si non solum sit concessum, sed etiam authentice scriptum, et a privilegario acceptatum, eo ipso habet illam firmitatem, quia jam est plene concessum in actu primo, ut sic dicam, et nullus actus secundus, seu usus est necessarius: et ita in hoc omnes auctores citati concordant. Difficultas vero est, an præter concessionem concedentis, verbis saltem expressam sufficienter (nam hoc saltem indubitanter necessarium est), requirantur aliæ duæ conditiones. Et primo, est dubium de instrumento scripto, et bullato, seu authentico. Sed hoc dubium definiendum est juxta supra dicta de necessitate scripturæ ad substantiam vel valorem privilegii; nam supponendo scripturam non esse necessariam ad esse, sed ad probationem, dicendum est privilegium solo verbo concessum, et nondum in scriptis redactum, non amitti per mortem concedentis ex solo illo defectu, quia jam est firmum et validum ex ea parte, et ita in illo procedit regula posita. Tradit Sylvester, verb. *Gratia*, quæst. 2, cum Joanne Andr. et Archid. in Proleg., libr. 6; et alios plures refert Sancius dicto libr. 8, disputation. 29; et Navarr. de Reddit. eccles., q. 3, monit. 8, cum Felin., in rubr. de Constitutione.

21. *Aliud dubium de acceptatione privilegarii.—Conclusio.*—Privilegium quomodo revocabile.—Aliud dubium est an requiratur acceptatio privilegarii, et consequenter an privilegium nondum acceptatum a privilegario, neque per se, neque per alium, expiret morte concedentis: videtur enim expirare, quia nondum est factum, sed est in fieri,

nondum enim est receptum in persona privilegarii, quia expectatur consensus ejus, regulariter loquendo, juxta superius dicta. Nihilominus dicendum est tale privilegium non extingui ipso facto morte concedentis, sed manere in eodem statu in quo ante erat, ut possit acceptari ab eo cui est concessum, et ita consummari, et prodesse illi. Hæc fuit sententia Lapi, Dominici, Franci, et Portii, quos refert et sequitur Sancius, libr. 8 de Matrim., disput. 28, num. 43 et 69. Fundamentum est, quia privilegium illud, ex parte principis, fuit perfecte concessum, et in morte non est revocatum per expressam voluntatem concedentis, ut supponimus; ergo in illo privilegio servanda est regula gratiarum, quæ non expirant morte concedentis, quia in ea magis attenditur absoluta voluntas concedentis, quam acceptatio alterius. Accedit quod in aliis donationibus similis regula servatur, juxta probabiliorum sententiam, de qua videri potest Molin., l. 4 de Primogen., c. 2, n. 77; et Covar. de Testam. in rubr., 3 p., n. 43; et Sanc., l. 1 de Sponsal., disp. 6, n. 5. Dixi autem illud privilegium permanere in eodem statu in quo antea erat, quia non confert novum jus privilegario, sed solum ad hoc perseverat ex vi voluntatis defuncti, ut possit ab illo acceptari; unde fit ut, sicut antea erat revocabile a concedente ante acceptationem, argumento l. *Nec ambigi*, c. de Donat., ita postea possit revocari a successore concedentis antequam sit acceptatum; nam eandem omnino et æque plenam potestatem habet, quia non succedit tanquam hæres ex voluntate defuncti, sed succedit, ex nova electione vel provisione, in integra dignitate ac potestate.

## CAPUT XXXII.

QUANDO, RATIONE FORMÆ CONCESSIONIS, DURATIO PRIVILEGII LIMITETUR AD VITAM CONCESSIONIS.

1. *Quomodo ratione formæ cessat privilegium.*—In regula superiori capite posita limitationem addidimus, videlicet, privilegium non amitti per mortem concedentis, nisi forma id exigat; propter hanc ergo partem explicandam præsens caput proponimus. In quo unum est clarum, scilicet, hoc maxime habere locum, si expresse concedens dixerit, *Quandiu vivero*, vel quid simile, quia non potest esse clarior forma. Tunc au-



tem (ut hoc obiter notem) non fit exceptio proprie a regula, quia tunc non amittitur privilegium ex vi defectus causæ efficientis, sed per lapsum temporis, juxta dicta in primo modo amissionis. Quia illa verba habent vim ponendi terminum durationi privilegii, ut si concedens diceret: Quamdiu præsens fuero, vel, quamdiu absens fuero, vel quid simile. Sicut est etiam probabile, ex efficacia verborum formæ, fieri posse ut privilegium non cesset morte concedentis, quod alias periret nisi talis esset forma: ut quidam dixerunt de privilegio, verbi gratia, eligendi confessorem, absolute concessum amitti morte concedentis, si autem concedatur per annum, non perdi intra illum, etiamsi moriens in illo decedat, quod an sit consequenter dictum, in dubio sequenti dicam.

2. *Hinc infertur.* — Et hinc consequenter sequitur idem esse dicendum, quoties in forma privilegii æquivalentia verba posita fuerint. Explicandum vero superest quænam hæc sint, statimque occurrunt illa supra tacta in capite quinto, per quæ superior declarat se concedere privilegium *usque ad beneplacitum suum*; tunc enim censetur limitari privilegium ad vitam concedentis, ideoque amitti per mortem ejus; ut explicatum est in cap. *Si gratiose*, de Rescript., in 6, ubi in hoc constituitur differentia inter illa verba, *ad beneplacitum meum*, et *ad beneplacitum sedis*, quod priora includunt beneplacitum quod vita finitur, et ideo etiam privilegium illud finitur cum vita concedentis; posteriora vero includunt beneplacitum perpetuum, nam sedes non moritur, sed per successionem semper eadem perseverat; et ideo tale privilegium non finitur per mortem concedentis, sed durat donec revocetur. Et ita in hac doctrina doctores conveniunt, exponentes dictum cap. *Gratiose*, et in aliis locis, quos late referunt Anton. Gabr., l. 6, tit. de Præbend., concl. 1, per totam; et Navar., in § *In Levitico*, not. 28; Didac. Perez, in l. 2 Ordin., tit. 2, l. 2; Covar., lib. 3 Variar., cap. 15. Et posterior quidem pars nec difficultatem habet, nec ad præsens spectat, cum illa non limitet, sed potius ampliet vel saltem confirmet generalem regulam positam.

3. *Duo advertenda.* — Circa priorem vero partem duo advertenda sunt, unum est, sub illis verbis *ad beneplacitum meum*, includi omnia æquivalentia verba; talia sunt: *Quando voluero*, vel *donec voluero*, licet aliqui summistæ moderni aliter sentire videantur, plane

sine causa, quia illa verba, *donec* vel *quamdiu voluero*, non requirunt novum actum voluntatis, nec durationem physicam, ut sic dicam, ejusdem actus, sed moralem et humanam, seu interpretativam; hæc autem etiam postulant illa verba *ad beneplacitum meum*, ut per se et ex contextu constat. Et idem judicium est de omnibus verbis quæ similem perseverantiam voluntatis postulerint, et non amplius. De aliis vero potest esse dubitatio, de qua dicam statim. Aliud notandum est, regulam hanc procedere in omni privilegio non solum ambizioso, vel odioso, seu derogativo juris, sed etiam in quocumque favorabili, etiam in indulgentiis, ut alibi dixi. Quod recte notavit Covar., supra, n. 4, et Sanc., n. 50, contra aliquos, qui oppositum dixerunt, et profecto sine fundamento, et contra textum, absolute et sine limitatione loquentem, et contra rationem; nam hæc non est restrictio privilegii ut ob eam causam dicatur habere locum in odioso vel ambizioso, non in favorabili, sed est propria et genuina explicatio conditionis inclusæ in verbis illis: conditio autem eadem idem operatur, ubicumque additur.

4. *Prima objectio.* — *Secunda objectio.* — *Tertia objectio.* — His positis, ut res magis declaretur, objicitur, primo, quia conditio illa, *usque ad beneplacitum meum*, est intrinsece inclusa in concessione ejusdemque privilegii, etiamsi verbis maxime absolutis fiat, quia semper privilegium est dependens a voluntate concedentis, ut infra dicetur: ergo talis conditio expressa non mutat naturam dispositionis; nam, juxta principia juris, conditio inclusa, licet exprimat, nec facit dispositionem conditionatam, nec aliquid operatur; sed concessio privilegii absolute facta non expirat per mortem concedentis; ergo licet addatur illa clausula, *usque ad beneplacitum*, non expirabit. Secundo, si Papa dicat: *Concedo tibi hanc indulgentiam, donec illam revocavero*, non expirat morte concedentis; ergo neque si dicat: *Usque ad beneplacitum meum.* Antecedens sumitur ex cap. *Si delegatus*, de Offic. deleg., in 6; et notant ibi Domin. et Franc., et in dicto cap. *Si gratiose*, ubi etiam Joann. Andr., Anchar., et plane Bart. in lege *Centesimis*, 46, § *Si ita stipulatus*, ff. de Verbor. obligation., n. 9 et 16, in lege *More*, ff. de Jurisdiction. omn. judic., n. 17; ubi etiam Jason, n. 15; Deci. in c. *Ex litteris*, de Constitution., in fine; et ibi Felin., num. 9 et 10; Angel., verb. *Voluntas*, n. 1;

Tabien. et Armill., verb. *Gratia*, in fine; Navar., cons. 3 de Privil.; Covar. et Anton. Gabr., supra. Et ratio non videtur esse alia, nisi quia illa conditio est intrinsece inclusa in quavis concessione privilegii, ut sumitur ex dicto cap. *Si delegatus*. Unde probatur consequentia, quia etiam altera conditio est inclusa, ut ostensum est. Probatur item quia illa verba videntur æquivalentia; quid enim significat, *Usque ad beneplacitum meum*, nisi, *Donec voluero*? Hoc autem perinde est ac si diceretur, *donec revocavero voluntatem*, quia quamdiu non revoco, in priori voluntate persisto interpretative, nec oportet ut aliter velim: ergo, *Quamdiu voluero*, idem est ac, *Quamdiu non revocavero*. Tertio, sequitur eandem differentiam esse constituendam inter formas privilegiorum, si in eis explicetur superior concedens, vel proprio nomine personæ suæ, vel suæ dignitatis; nam priori modo concessum privilegium extinguitur per mortem concedentis, posteriori autem modo minime. Consequens autem est falsum quoad priorem partem, quæ ad præsens spectat: ergo. Sequela patet a paritate rationis. Minor autem probatur, quia sic destruerentur omnia dicta circa hanc regulam, unde plane repugnat cum decisionibus cap. *Si cui nulla*, et cap. *Si super gratia*.

5. Hæc argumenta solum proponuntur ad explicandam magis decisionem juris et rationem ejus: nam veritas illius certissima est. Ad primum ergo respondeo, negando majorem; nam illud additum: *Ad beneplacitum meum*, aliquid addit quod in absoluta concessione non fuisset inclusum. Quia absoluta concessio solum requirit ut, cum fit, interveniat consensus et voluntas concedentis: de perseverantia autem ejus nihil statuit nec postulat, et ideo talis concessio nunquam ab intrinseco amittitur propter solum defectum voluntatis privativum, ut sic dicam, seu negativum, sed necessaria erit aliqua contraria voluntas, per quam illa prior retractetur. At vero quando concessio fit ad beneplacitum personæ, tunc ultra consensum ad fieri privilegii, requiritur perseverantia, seu permanentia ejusdem voluntatis, ut necessaria ad perseverantiam ejusdem privilegii; et inde fit ut tale privilegium amitti possit non solum per contrariam voluntatem, sed etiam per defectum privativum voluntatis concedentis, scilicet, per carentiam durationis illius beneplaciti, quæ contingit per mortem concedentis, ut magis in sequenti responsione declarabitur.

6. Ad secundum, aliqui distinguunt inter has duas formas: *Concedo tibi hanc gratiam donec revocetur*, vel *donec revocavero*; nam prior magis absoluta est et indefinita, quia non dicit relationem ad personam concedentis, sed ad potestatem ipsam per quam revocari potest, et ita quamdiu revocata non fuerit, permanebit, et sic æquiparabitur hæc clausula cum illa, *usque ad beneplacitum sedis*; et in hac parte nullum videtur esse dubium. De altera vero, *donec revocavero*, videtur contrarium dicendum propter contrariam rationem; dicunt enim illa verba habitudinem ad personam concedentis, et ita videntur includere dependentiam a vita ejus, nam postea non poterit revocare, ac subinde, deficiente vita concedentis, cessabit gratia, quæ ita videtur concessa, ut si revocari non possit, cesset: et ita sentiunt Tabien. et Armill., verb. *Voluntas*, in princ. Sed vera est sententia communis in objectione adducta, dicens clausulam, *donec revocavero*, non facere privilegium dependens a vita concedentis, et ita quoad hoc æquivalere illi, *donec revocetur*, quamvis ratio sit reddenda diversa. Quia negari non potest illa differentia, quod verbum *revocavero* magis restrictum est, magisque particularem respectum dicit, quam passivum verbum *revocetur*: nam ut hoc esset omnino æquivalens, deberet addi, *donec revocetur a me*; nihilominus dico ex illa habitudine ad concedentem, non inferri dependentiam privilegii a vita ejus, sed potius contrarium.

7. *Ratio duplex.* — *Prima ratio.* — *Secunda.* — Ratio reddi potest duplex: prior est, quia particula *donec revocavero* est inclusa intrinsece in concessione privilegii, quod natura sua revocabile est, tam a concedente quam a successoribus; et ideo, sive generaliter addatur *donec revocetur*, sive specialiter *donec revocavero*, nihil additur quod in absoluta concessione non sit inclusum, et ideo non fit concessio magis dependens a vita concedentis, quam si absolute esset facta. Et ita facile respondetur ad objectionem, negando consequentiam, et negando etiam illa verba, *usque ad beneplacitum meum*, et *donec revocavero*, esse æquivalentia, quia hæc solum explicant clare quod tacite inest, et non deserviunt ad specialem effectum, sed solum ut facilius videatur revocatio: illa vero aliquid addunt, ut explicui et magis jam declarabo. Atque hæc ratio est satis conformis d. c. *Si delegatus*; potest tamen habere difficultatem, quia supponit omne privilegium esse revocabile,